







1635, 1  
37  
3  
DISPUTATIO THEOREMATICA

*Inquirens*

COMETARUM  
ÆTHERIORUM NATU-  
RAM.

Quam Ordinariam

*Publicæ ventilationi subjicit*

M. ALBERTUS LINEMANNUS  
Prusso-Fischhusinus, Mathematicum in Aca-  
demiâ Regiomontanâ Professor  
Publicus.

*Respondente*

ALBERTO KIEPER Prusso-Regiomon-  
tano.

*Ad diem 5. Octobris horis à 6. Matutinis  
in Auditorio Majori.*

---

REGIOMONTI

Typis LAURENTII SEGBADII.

M. DC. XXXV.  
26





VIRIS

QVA DOCTRINA, QVA INTEGRITATE  
MAXIME CONSPICUIS

Dn: ALBERTO Kieper/  
Florentissimi Ambstelodami Mercatori  
inter primos Patruo verè Patri,

&

Dn: JOHANNI Schim-  
mel, Pfenning Reip: Cniph: Merca-  
tori florentissimo, consanguineo  
honorando.

*Et rgetis suis Summis*

*Se suag, studia  
munusculo hoc Academico  
commendat*

ALBERTUS Kieper  
Junior.



DISPUTATIO THEOREMATICA

Inquirens

COMETARUM ÆTHE-  
RIORUM NATURAM.

Proœmium.

SEculum nostrum quin suâ felicitate Prisco non cedat, fatebitur is, qui plurima insignia Naturæ superioris miracula altiùs consideraverit. Ecce enim *Planeta novi, Stella fixa nova, Solares macula, Elliptica Solis ad horizontem figura*, nec non *Cometica considerationes* seculo nostro celsiùs & certiùs sese manifestarunt. Utut autem quædam ex hisce cognita fuerint Priscis, nequaquam tamen & illa tantâ certitudine adstruere valuerunt. Ex hisce verò solius COMETÆ ÆTHERII *naturam* pro modulo disputationis hâc vice considerabimus, certis Theorematis eorum potissimam cognitionis partem proposituri: sit igitur

THEOREMA PRIMUM.

Cometarum quorundam locus non est sublunaris, sed ætherius.

§. I.

Theorema hoc primo loco ponere visum est ideò, quòd toti doctrinæ Cometicæ lumen singulare afferat: hoc ipsum autem non tam *probabilibus*, quàm *demonstrativis* evincendum erit argumentis; Eviçto enim hocce primo in sequente materiâ probabili longè audaciores, quàm plurimi *Aristotelei* versari poterimus.

A 2

§. 2. Pri-




§. 2.

*Primum argumentum* desumo ex *Cometarum Parallaxi*, quæ in *Cometarum* observationibus Lunari offenditur minor. At corpus minoris Parallaxeos longius distat eò, quod majori Parallaxi gaudet; ut constat ex *doctrina Sphærica* parte eâ, quæ *Parallaxeos* naturam enucleare docet.

§. 3.

Ne autem quis hac in re dubitus versetur, quod facile evenire potest ei, qui *res Mathematicas* minus perspexerit, ambas assertiones, postquam indicavero, *quid Parallaxis sit?* probabo: Est autem Parallaxis, seu diversitas aspectus arcus circuli maximi denotans differentiam alicujus stellæ vel corporis elevati veri & apparentis loci. Sic in *figurâ appositâ* sit A centrum terræ; B superficies terræ, circulus sphæra octavæ G E D H, punctum C sortitur di-



versitatem aspectus seu Parallaxin E D arcus vel anguli B C A vel E C D, locus verus puncti C est in D; visus autem in superficie terræ constitutus animadvertit punctum C non in D. loco vero, sed in E. loco apparente.

§. 4.

Explicatâ quidditate Parallaxeos minorem Parallaxin in eadem supra horizontem elevatione majorem distantiam arguere probandum est. Sit A B semidiameter terræ:

C Lu-



CLuna : E Cometa vel aliud coeleste corpus. Dico 1. an-  
 gulum Parallaxeos BEA esse minorem angulo BCA:  
 Et probo taliter: Anguli ABC† EAC† CAB† AEB  
 æquantur duobus rectis *per 32. 1.* sic anguli CAB†  
 ABC† BCA æquantur itidem duobus rectis, *per ean-*  
*dem.* Ergo, si æqualia æqualibus auferantur, manebunt B  
 CA & EAC† BEA æqualia *per ax: 1.* ergo totus ACB  
 major erit angulus sua parte CEA. Vel quia ACB est angulus  
 externus, utique major erit interno uno & opposito. *per*  
*16. 1.* quod erat demonstrandum. 2. Angulus totus BAE  
 subtendit latus totum BE: Ergo pars ejuscemodi anguli  
 scilicet BAC in eodem Triangulo subtendit minus. Un-  
 de etiam patet quòd Parallaxis minor Majorem; at ma-  
 jor Parallaxis minorem distantiam inferat.

§. 5.

Cometarum autem Parallaxes Lunaribus minores fu-  
 isse probant omnes *accurate observationes* Cometicæ Tycho-  
 nis, Mæstlini, Kepleri, Crugeri, Gassendi, &c. qui omnes ex ob-  
 servationibus suis accuratè habitis Cometarum Parallaxes  
 Lunaribus minores invenerunt, unde necessariò hi Co-  
 metæ observati ponendi erunt supra Lunam. Prolixi-  
 tatis autem vitandæ ergò diligentes indagatores ad ho-  
 rum artificum scripta ablegatos volo; ubi demonstratio-  
 nes certissimas hujus asserti offendent: ita ut nullum du-  
 bium suboriri queat, quod ullum à veritatis tramite ab-  
 ducere possit.

§. 6.

*Secundum argumentum* pro Ætherio loco Cometis assi-  
 gnando suppeditat *motus proprius, regularis, & sub uno circulo*  
*maximo confectus.* Ostendunt enim calculi ex observatio-  
 nibus Cometicis diducti, quemvis ab nominatis observa-  
 tum Cometam sub uno circulo, eoquè maximo exquisi-  
 tè incessisse, ita ut obtinuerit polorum priorum di-

A 3

stanti-



stantiam eandem, sphaeraque à motu hocce in duas partes  
secta sit; unde Ecliptica, non aliter quàm ab Eclipticâ Æ-  
quator, à circulo motum Cometæ designante interfeca-  
batur. Si autem sub Lunâ in aeriâ aliquâ regione cursum  
suum instituisset incondito motu agitato fuisset Come-  
ta necesse esset. Ejuscemodi autem constantia motûs in  
sublunaribus, ne ullo quidem probabili argumento adse-  
ri potest: Materiæ siquidem fluxa constitutio hic ubique  
postulat contrarium.

§. 7.

*Tertium argumentum* obtinetur ex motu proprio Lunari  
*minore*; At verò *Aristoteles*, (quod pro vero assumam licet  
non concedam, disputo enim hâc in re contra ipsum, ubi  
ex assumptis disputare licet) inquit quod Planetæ, quo  
fuerint altiores eò minori velocitate gaudeant. In Come-  
tis autem diligenter à dictis Artificibus observatis hæc re-  
gula *Aristotelis* locum habet, unde supra Lunam fuisse a-  
bundè concludi poterit. Hæ sunt rationes, quarum duæ  
prioræ *demonstrativæ*, tertia *probabilis*. Locus ergò quo-  
rundam Cometarum erit ætherius, quod probandum  
erat.

THEOREMA SECUNDUM.

λήμμα

Ætheria regio non est incapax Ge-  
nerationis & corruptionis.

§. I.

Antequam de Cometarum materiâ tractetur, perne-  
cessarium visum est, hoc theorema instar *lemmatis* præmit-  
tere; siquidem plurimi in explicandâ materiâ Come-  
tarum



tantum sese variè macerant, dum hoc ipsum concedere nolunt. Verùm cur Autoritatibus quis ita staret, ut etiam ratio genuina succumbere cogatur? hinc paucissimis hoc theorema dabo expeditum.

§. 2.

*Generationem* igitur & *corruptionem* in coelis dari, probant 1 *Nova stella*, quarum quaedam apparuerunt adhuc perdurantes; quaedam verò apparuerunt, at evanescentes. Quæ tùm consolidationem, tùm dissipationem, adeoq; generationem & corruptionem arguunt. Nam forma illa, quæ novæ alicui stellæ in vigore existenti competebat, non aderat, antequam vigor ille existeret; differebant enim ut *consolidandum* & *consolidatum*. Sic iterùm forma quæ stellæ in vigore competebat, non aderat eidem cum planè esset resoluta; habebunt enim sese ut *elementatum* ad *elementum*, quæ sanè generationem & corruptionem successivam arguunt.

§. 3.

Probant hoc 2. *Circum-Joviales stella*, pertranseuntes vaporosum illum *Jovis* orbem: ubi itidem vel nova condensatio & rarefactio, vel motus violentus extra sphaeram suam naturalem orietur, quod sine pressione non celebratur, quod utrumquè insignem mutationem cœlestem evidenter ostendit. At si condensatio & rarefactio ibidem conceditur, novæ formæ, ut apud nos in aere, introducetur, variæ scilicet & facilè mutabiles.

§. 4.

Probat hoc 3 *Fixarum scintillatio*, quæ non nisi ex corpore stellari ortum trahit. Siquidem causæ externæ alijs hæc ipsa adscribi non possit; ut demonstratum est in *disputatione* quam de *Scintillationis causâ* habui. Vibratio autem illa cum sese instar nostrorum vaporum habeat, dum exhalationes quaedam nimium festinanter assurgunt: vel  
instar



1-9  
instar flammæ candelæ ardentis, utiquè hic suboritur quædam formæ mutatio, dum pars consumitur, & dissipatur, pars autem remanet consumenda & dissipanda. Ut idem iudicium sit hic quod de stellarum scintillatione ex vibratione materiæ stellaris oriundâ, concluditur.

§. 5.

Probathoc 4 *Cometarum resolutio*, de quâ in posterioribus, quæ ex corpore conspicuo materiam inconspicuam efficit, coloremquè mutat, quæ nil nisi prioris corruptionem denotant. Probatum igitur est, *generationes & corruptiones* in cœlo actu haberi, *quomodo* verò hæ ipsæ fiant alijs pensitandum relinquam. Sufficiat enim ostendisse actu dari eiusmodi mutationes in cœlo, cum etiam sufficiens fuisset, si potentia saltem probata fuisset. Nunc igitur ad considerationem materiæ properandum erit.

THEOREMA TERTIUM.

Cometarum Ætheriorum materia non est sublunaris, sed cœlestis.

§. 1.

Materiam Cometarum dignè explicare non minimum facessit negocium præsertim ei, qui potius auctoritati, quàm rationi obsequi voluerit; illa autem si probabilitate majori vincatur, non magni æstimanda erit ei, qui Philosophiæ parère cupit; si igitur ratio probabilitate majori nixa ab aliorum sententijs abire persuadeat, eam pressim sequi præsumam. Quòd autem ratio potius *cœlestem* quàm *sublunarem materiam* Cometis ætherijs attribuat, ex sequentibus manifestum evadet.

§. 2. Pri.



§. 2.

Primò enim, Si Cometæ hi ex vaporibus Sublunaribus orirentur Sphæra ἀτμῶν non ad 13. milliaria, sed supra Lunam extenderetur, quod cum *Opticorum* observationibus crepusculorum non convenit, qui exaltationem vaporum lucis capacium 13. milliar: excedentem constitui non posse demonstrant. Qui tamen tempus observationibus commodum seligunt illud, quod non nubilum aut vaporibus crassis oppletum, sed serenum cœlum ostentat. Nequaquam verò *sublunares*, cum viscosi & ad minimum metallares à contradicentibus supponantur, tam erunt subtiles, ut etiam lucis omnis sint planè incapaces. Cum igitur nunquam subtilissimi vapores *sublunares* 13. milliar: altiores sint observati, fieri non poterit ut vel crassiores in ipso ascensu majori non conspiciantur.

§. 3.

Secundò. Notum est vapores hinc ascendentes in mediâ aeris regione condensari ita, ut calidi ab *antiperistasi* à frigore in aeris regionibus *naturaliter* existente oriundâ comprimantur, donec in crassiorem constitutionem redigantur, quod ex mediæ regionis aeris meteoris constat. Si contradicas, oro explices causas, quibus compressi vapores subtiliores evadere possint? Sanè à semetipsis hæc actio sperari non poterit, nam *nova antiperistasis* obstat tamdiu, donec in ignem abeant, ut patet ex meteoris supremæ ( si modo ibi generentur, quis enim observare aut demonstrare ibidem ea phœnomena oriri unquam potuit ) aeris regionis. Multò minus vero *resolutio ulterior* à sideribus proficiscetur; horum enim radij non tam efficaciter, ob denegatam sui reflexionem, quam in ipsâ terrâ, ubi reflexio idonea conceditur, vapores ulterius resolvere poterunt. Imò si ad æthera elevarentur deciderent, nam subtilissimus sublunaris vapor quantitate molis au-

B

ram



1-9  
ram ætheriam non vincet. Qui hoc negat, demōstret: hoc si fecerit, vix abnuam sententiam meam mutare. Afferendum igitur erit vapores ad æthera usquē nō evolare, adeòquē Cometam constituere non posse.

§. 4.

*Tertiò.* Magnitudo Cometarum ætheriorum huic sententiæ abnuit. Nam si proximi seculi *Cometas observatos* (de non observatis nullum iudicium fero) pensitemus, ostendi poterit, terræ partem non minimam eamquē satis sensibilem in constituendo Cometâ uno absorberi debere. Ratio pro omnibus sit unica: Ecce Cometa *nuperimus*, qui anno 1618. fulgebat, hoc evincit: Hujus enim magnitudinem Clarissimi Dn: *M. Petri Crugeri Mathematici Dantisani*, amici mei honorandi observationes accuratæ & ex iisdem diductus calculus ostendunt tantam, ut Cometæ caput 1023375 *milliaria Germ: Cubica* in se continuerit, quæ 2600 *mā* terræ partē *in spacio* arguunt, quis autem concederet tantam halituum partem insensibiliter in æthera ascendisse, nisi qui cum rectâ ratione insanire vellet.

§. 5.

*Quartò.* Si ex halitibus sublunaribus extitissent Cometæ ætherij, nescio, qui explicari possit, cur cauda Soli semper fuerit opposita? Si enim ex vagâ materiâ ipsum corpus Cometicum fuisset conflatum, utiquē tam in hanc quàm in illam mundi partem projecisset caudam, quod tamen contra omnium observationum documenta pugnat. Nec dici poterit Solem *trajectione radiorum* per caput Cometæ eadem formasse, eamquē constantem, siquidem effluvium illud versus Solem tendere debebat potius, quàm in partem contrariam, quod ex *resolutione rerum elementarium* constat, quæ sub primum resolutionis initium partem minùs obstantem pertranseunt, quæ pars in  
Come-



Cometis versus Solem quòd fuerit, necessariò concedendum est: Deinde, si *resolutio* ejuscemodi aliam viam quæ-  
sivisset altiùs tendere debebat cauda, quia levior facta e-  
rat materia, quàm cum esset in ipso compacto corpore  
Cometico. Nec dixeris effluvium circundare Cometam,  
hoc enim à naturâ sublunarium est alienum.

§. 6.

*Quintò.* Si halitus illi fuissent sublunares, sanè ob con-  
densationem factam in ætheriâ regione consistere non  
potuissent, sed decidissent. Quia materia sublunaris sub-  
tilissimâ aurâ ætheriâ in æquali spacio comprehensâ cer-  
tè gravior erit; atquè hinc aura inferior ætheria cedere  
cogeretur, & sic Cometes in sublimi æthere subsistere non  
posset, *ut docet Statica*. Nec est alicujus momenti, si quis  
reponat, Cometas instar nubium sustineri, cum nubes a-  
ere æquale spacium comprehendente sustineantur, aere  
graviores. *Ecce!* in nubibus est insinuatus aer ventilans,  
qui nubem in alto sustentare valet, instar *Draconis artifi-*  
*cialis*, qui ob aerem commoventem in alto sustinetur. At  
nullus aer materiæ Cometice concedi potest; quomodo  
enim aer materiæ Cometice inclusus ob gravitatem suam  
minùs gravia spacia utpote ætheria pervolare poterit? *æ-*  
*temè* est quæ dixeris. Plura hic adducere nolo, utpote *ab-*  
*surditatem condensationis rei elementaris* in æthere, &c. cum  
non dubitem, ex argumentis hisce tum demonstrativis  
tum probabilibus *theorema* propositum satis probatum  
esse. Cum verò sublunaris non sit materia Cometarum  
ætheriorum, ætheriam eandem esse necessariò constabit.

THEOREMA QUARTUM.

Cometæ Ætherij non sunt stellæ  
mundo coævæ.

B 2

§. I. Quàm



§. 1.

Quam facile fuit probare *materia* Cometarum ætheriorum non *sublunarem* esse, sed *cælestem*; tam difficile sanè est eandem certò determinare, idquè ob multiplicem plausibilium sententiarum varietatem. Cum verò in eà determinandà nulla demonstratio ab ullo artifice unquam fuerit adducta, facile veniam merebor, si lambentis vulpculæ adinstar nobiliores examinem, meamquè ut minimis difficultatibus laborantem liberiùs, probabiliter tamen, in medium proferam.

§. 2.

*Quidam* putabant Cometas hos in cælis quidem versari, sed non ex *materia* quâdam formam novam suscipiente aut deponente oriri; verum esse sidera cæteris stellis adeoque ipsi mundo coæva, incedentia ordinariè in Epicyclo maximo, magnâquè Eccentricitate gaudente: dum igitur moverentur in Epicycli parte propinquâ, conspici; cum verò partem remotam occuparent, conspicuos non esse autumabant.

§. 3.

Verùm hanc sententiam, utut plausibilis primâ fronte appareat, sequentes rationes reddunt minùs probabilem: Primò enim, si hi Cometæ sidera essent æterna, utique tam varium colorem successivè notabilem non subirent: Nam vel ex albedine ad rubedinem, vel ex hac ad illam tendunt, donec etiam omnis lucis expertes, instar distractarum exhalationum, evanescent. Quod pugnat cum constante sidere ætherio, siquidem Mars & alij Planetæ colorem servant eundem, sive sint remotiores à terrâ, sive eidem propinquiores, licet interim magnitudine ob visionis angulum variantem variant.

§. 2.

*Secundò.* Si Cometæ hi in Epicyclo maximo incederent, utique sub exortū nimium parvi, cinericei ac fusci appa-  
rerent.



rerent; idquè sub eodem modo, quo disparent; mutatio enim similis ob similem distantiam necessaria foret. At hoc nunquam fuit observatum: In vigore enim jam existentes apparuerunt, indies indiesquè magis decrementum capientes, novumquè colorem exhibentes.

§. 5.

*Tertiò.* Utut in Epicyclo ejuscemodi magno motum suum absolverent hi Cometæ, attamen in parvo temporis intervallo iterum fierent conspicui. Hoc ut probem, arripio *observationes* Cometæ à *Clariss. D. M. Petro Crugero* anno 1618 administratas; Ex hisce adhibitâ facilè concedendâ conjecturâ ejusdem, colligo diametrum illius magni Epicycli 8525880 *milliar: Germ: ferè*; Cometæ motum in Epicyclo 36'. 20". ferè, promovebiturquè in Epicyclo illo singulis diebus 271690 *milliar: Germ: ferè*. Hic motus quomodo concedi possit, videant sententiæ hujus defensores, mihi sanè tanta promotio persvaderi non potuit. *Præterea* motus in Epicyclo *periodicus* intra duos annos absolveretur, quod ab observationibus posterioribus alienū est. Deductionem calculi ex datis *Clariss. Dn: Crugeri* provenientis apponerem, si pagellæ disputatoriæ id admitterent. Quod si quis assereret in superiori Eccentrici parte ob addendos motus alios Cometam diutiùs morari, eum vehementer oro, ut rem hanc planè obscuram demonstratione quâdam manifestet.

THEOREMA QUINTUM.

Cometæ Ætherij non sunt globi ex pluribus stellis in æthere vagantibus, & ob parvitatem seorsim visum effugientibus, orti.

B 3

§. 1. Haac



1-9  
§. 1.

Hanc sententiam tùm quidam *Veteres*, tùm quidam insignes *Physici Neoterici* arripere voluerunt. Quò minùs autem in eâ acquiescam, sequentes svadent rationes: *Primò*. Confusio quædam motuum stellarum esset concedenda: motus enim tot millium stellarum (pauca fanè non erunt, alias ob magnitudinem notabilem conspicerentur sigillatim) ad unum quasi punctum tenderent simul. Quam tamen *cælestis harmonia Planetarum* ulla non admittit. Quâ ergo probabilitate de hisce quid certi asseri poterit?

§. 2.

*Secundò*. Ab omni probabilitate alienum est, visibiles stellas ab tantâ copiâ concurrere, ut Cometam constituere possent, dùm sæpè Cometae ætherij sunt conspecti, stellas fixas facilè magnitudine apparente vincentes.

§. 3.

*Tertiò*. Cauda itidem *veritatem Theorematis* ostendit, utpotè quæ ex parte à Sole aversâ saltem conspicitur; Quod tamen fieri non posset, si ejuscemodi conglomeratio stellarum concedenda esset: Sic, circumcirca ingès fluxus, instar alicujus orbis, licet minùs densi, videretur; Quod ab *observatis* est alienum.

§. 4.

*Quartò*. Si ex congressu corporali stellarum oriretur Cometa, utiquè antequam in caput coalescerent, aliqua saltem tam vicinæ ad se invicem existent, ut visum effugere nequeant; sed plurimæ conglomeraciones stellarum instar plurium Cometarum minorum conspicerentur: quod itidem nunquam fuit observatum.

§. 5.

*Quintò*. Si ex ejuscemodi stellarum congressu Cometa produceretur, vix ulla duratio eorundem concedi posset



Nam prout cujusvis stellæ motus rapidus erat ante inter-  
sectionem circulorum, quæ in ipso Cometa posita est; Sic  
rapidus etiam erit post sectionem; motus enim stellarum  
ob concursum non variabitur: hinc tam subitanea esset  
Cometæ dissipatio, quàm ipsius constitutio, cujus tamen  
contrarium docent *observationes*, quæ omnes perhibent  
Cometas vel in vigore aliquandiu perstitisse, vel sensim  
saltem dissipatos fuisse.

§. 6.

*Sextò.* Motus Cometæ idem persvadet, qui ordinatus  
& sub circulo maximo incedit. Quia autem stellarum co-  
euntium singularum *diversus motus* est, utiquè quævis  
partem Cometæ suam suo peculiari motu bearet, unde  
non sub circulo maximo incedere posset; sed esset potius  
inordinati ac vagabundi motus, qui modò *Austrum*, mo-  
dò *Boream* peteret. Quæ omnia itidem *experientia* planè  
contradicunt.

§. 7.

*Demùm:* Cauda aliud persvadet; stellæ enim mate-  
riam caudæ formantes semper in contrariam Solis pla-  
gam motum suum instituerent, quæ cauda tum in orien-  
tem, tum in occidentem se vertet, pro motu Solis plagæ  
Cometarum oppositi. Quæ omnia minimè sibi constare  
videntur. Hæ igitur rationes maximè stringentes *theore-  
ma nostrum* ita confirmant, ut contrarium statuere nemo  
possit, nisi qui absonis oblectatur.

THEOREMA SEXTUM.

**Cometæ non oriuntur ex condensa-  
tione auræ ætheriæ,**

§. 1.

*Alij non minus exercitati Physici materiam ætheriorum*  
Come-



1-9  
Cometarum esse auram cœlestem, & ex ejus condensatione fieri  
conspicuos asserunt. Hæc sententia, ut speciosa est, sic multos  
abripuit, verùm, cur minus eidem sic astipulandum, sequen-  
tia docebunt.

§. 2.

Primò enim, non invenio causam condensationis,  
consistentiæ diuturnæ, & rarefactionis Cometarum. Dùm  
enim causam adversantes afferunt motum Planetarum,  
quasi hi in æthere cursum suum velocissimè promoven-  
tes auram ætheriam obsistentem condensent, nihil effi-  
ciunt. Nam ætheria illa materia stabilis non est; sed quia  
aere longè subtilior, facilè cedit, ita ut pars auræ ætheriæ  
anterior pressa ulteriorem ad cedendum incitet, quæ, ob  
violentiam vacui in parte Planetæ posteriori relictæ, retro-  
agitur ad partem scilicet posticam, ubi pressæ anteriori au-  
ræ ætheriæ refugium conceditur, quod experientia ipsa  
confirmat, quæ edocet lapidem cadentem anteriorem a-  
erem dispellere qui sese in partem posteriorem recipit, vel  
ad latus; aliàs enim lapis, si inde condensatio oriretur, ter-  
ram tam subitò contingere non posset.

§. 3.

Secundò. Si crassior materia condensata persistere ne-  
quit sed statim dissipatur ac rarefit, utiquè multò magis  
subtilior si maximè condensetur, persistere diu non po-  
terit, sed statim dissipabitur. Ecce à globo tormentario aer  
comprimitur ita, ut etiam prætervolvans globus homi-  
nes minimè tangens tùm occiderit, tùm surdos reddide-  
rit; quæ sanè condensatio satis valida æstimari poterit:  
at statim ad pristinum statum resilit. Cùm verò aura æthe-  
ria ipso aere in immensum censeatur subtilior, adeoq;  
minùs viscida, longè minor erit hujus materiæ conden-  
sata duratio. At Cometæ diutissimè durant, qui ergò à  
tàm agili ac subtili materiâ condensatâ originem tra-  
hent.

THEO.



Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3  
004 398 270



f  
Sb.

VD 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1635,1

37

31

REMATICA

RUM  
NATU-

ariam

*subicit*

EMANNUS  
matum in Aca-  
a Professor

o - Regiomon-

a 6. Matutinis  
jori.

TI  
EGEBADII.  
V.